

APPENDIX.

γ. 7. VULGATUM πόλει defendere videtur Demosthenes in A initio Olynth. II. τὴν παρὰ τῶν θεῶν εὐνοίαν — πόλει. Noster etiam Orest. 858. σῶν γὰρ εὐνοίαν πατρὶ Ἀεὶ ποτ' εἶχον. Nihil igitur mutandum est; quanquam membra sententiæ parum curiose componantur.

γ. 13. Dictis Valckenaerii accuratius perpensis, negativam particulam *haud* fortasse rectius omissem. Nullam enim nunc causam video, cur rara vox ὄθεν, si rara sit, in suspicionem cadat. Dixi, *si rara sit*; quia Beckius illam in Indice omisit; occurrit tamen Orest. 989. 996. Phœn. 43. 332. 1081. B Iph. A. 587. Ion. 24. 1268. 1364. Suppl. 532. Potest quidem ὄθεν in suspicionem cadere, propter intellectum paulo rariorem: nam plerumque sonat *ex quo loco*: sed in septem primis exemplis redditur *ex qua re* vel *ex quo tempore*. Est profecto in hoc sensu vox εἶθεν magis usitata; quod Marklandum fugisse videtur ad Suppl. 1010. ubi citat, ad vulgatam defendendam contra Canteri conjecturam, Æsch. Eumen. 696. Ἀρεὶ δ' εἶθου εἶθεν ἐστ' ἐπάνυμος Πέτρα. Eundem tamen ac εἶθεν intellectum olim ὄθεν habuit in Phœn. 51. sed versum, utpote spurium, VV. DD. C ejecerunt, Valckenaerii iudicium secuti. Ex his ultimis pene mihi in animum inducor, ut sententiam nostram de νοθείας versuum in Troasin iterum amplectar; præsertim cum id verum esse videatur, quod monuit Vir Summus de Prologis Euripideis, Poetam nempe *brevitati sic studere, ut alienissima saltem istius generis* (τοῦ ἑτυμολογεῖν scilicet) *non immisceat*. Sed, ut verum fatear, mens huc et illuc adeo dubia trahitur, ut, quid dicam, prorsus ignorem: et quanquam satis mirari nequeo, quo casu evenerit, ut in fragmento apud Macrobius D ἐκ τοῦδ' in ὄθεν fluxerit; scio tamen in Iph. T. 35. vocem ὄθεν intulisse librarium, qui sic scripsisse debuit, ΟΘ ΕΝΝΟΜΟΙΣ ΣΙΤΟΙΣΙΝ ἠδεταί θεά. ubi vulgo legitur ΟΘΕΝ ΝΟΜΟΙΣΙ ΤΟΙΣΙΝ ἠδεταί θεά. In prioribus Canterum bene sequitur Barnesius; sed vim vocis ἐνόμοις non adsequitur. Εὐφρημῶς Iphigenia loquitur;